BVLLA
S.MI D. N. PAVLI
Diuina prouidentia PAPAE V.

Confirmationis, & innouationis Priuilegiorum, & Bullarum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum à fel. rec. Gregorio IX. & alijs Romanis Pontificibus eius Successoribus, Prædecessoribus suis hucusq; concessorum, & approbationis Ordinis reformati, & Constitutionum illius.

Ad preces PHILIPPI III. Hispaniarum, & Indiarum Regis Catholici eiusdem Ordinis Patroni, & Fundatoris.

Procurante R. P. Magistro Ferdinando à S. Iacobo primo Italiæ Prouinciali, & Generali Vicario, sub Reuerendisimo Patre Illefonso de Monroi Magistro Generali expedita, &c.



ROMAE
Ex Typographia Reu. Cameræ Apostolicæ.
M. DC. VI.

noſtra omnia, & ſingula præmiſſa inuiolabiliter obſeruari : ac ſingulos quos ipſe præſentes concernunt illis pacificè gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcunque contra præſentium huiuſmodi tenorem quomodolibet moleſtari. Nos enim eis, & eorum cuilibet quos, quibus, quoties, & quando opus fuerit citandi, & ſub cenſuris, alijsq; pœnis in forma conſueta inhibendi, necnon contradictores quoſcũq; per ſimiles ſententias, cenſuras, & pœnas appellatione poſtpoſita (ſeruata tamen forma Concilij Tridentini) compeſcendi, brachiumq; ſæculare, ſi opus fuerit, inuocandi plenam & liberam Apoſtolica auctoritate prædicta earundem tenore præſentium cõcedimus facultatẽ, non obſtantibus eiuſdem Bonifacij Prædeceſſoris de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dũmodò vltra tres dietas aliquis extra ſuam Ciuitatem, vel Diœceſim vigore ipſarum præſentium ad iudicium non trahatur, alijsq; conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis illi, eiusq; Superioribus, & perſonis ſub quibuſcũque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibusq; & alijs decretis in genere, vel ſpecie, etiam Motu proprio, & Conſiſtorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idẽ importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruãda foret illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie latiſſimè & pleniſſimè, ac ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuſcũq;, aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum huiuſmodi mentionem. & quia difficile foret præſentes literas ad ſingula loca vbi neceſſe fuerit deferri, volumus, & apoſtolica auctoritate prædicta decernimus, quod earũdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manuq; ac ſigillo pro tempore exiſtentis Magiſtri Generalis ipſius Ordinis, ſeù illius Vicarij ſubſcriptis, & munitis, eadẽ fides tàm in iudicio, quàm extrà adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum abſolutionis, approbationum, confirmationum, innouationis, conceſſionum roboris adiectionis, defectuum, ſuppletionis, conceſſionis, indulti, impartitionis, voluntatis, ſuppoſitionis, ſubiectionis, decreti, mandati, & derogationis prædictorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurũ. Datũ Romæ apud Sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſexto, Decimo Kalendas Septembris, Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

[C]lauſulæ generales am[pl]iſſimæ.

[Q]uod harum literarum [tr]anſumptis, etiam im[pr]eſſis &c. fides habea[tu]r.

NOS Frater Illeſonſus de Monroy Sacræ Theologiæ Magiſter Ordinis S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Generalis Magiſter, Omnibus & ſingulis præſens tranſumptum literarum Apoſtolicarum confirmationis, & innouationis priuilegiorum, & approbationis eiuſdem Ordinis reformati per Sanctiſſimum Dominum Noſtrũ D. PAVLVM Diuina prouidentia Papam V. factæ, viſuris, lecturis, pariter, & audituris notum facimus; & in verbo veritatis teſtamur, qualiter cum originalibus Apoſtolicis literis, quas non caſſas, non abolitas, neq; in aliqua ſui parte ſuſpectas vidimus concordat. In quorum omnium fidem & teſtimonium has præſentes noſtras atteſtationis literas, etiam imprimi, & noſtri ſoliti ſigilli (quo in ſimilibus vtimur) impreſſione cõmuniri, & per noſtrum Secretarium infraſcriptum ſubſcribi fecimus, actum, & datum